



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 144. Subjectio ab Hieronymo Pragensi promissa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

rio, qui postea accepto Zischæ nomine, Sæcul. XV. A.C. 1415.
 quod Bohemorum idiomate monoculum
 significat (in quodam enim proelio ocu-
 lum amiserat) valde celebrem, atque for-
 midandum se reddidit. Hic natione Bo-
 hemus erat natus in oppido Trosnovia te-
 nuis adeo fortunæ, ut sæpius a ditiori-
 bus, qui in vicinia erant, Nobilibus vi-
 ctum emendicare coactus fuerit. Impe-
 ratoris Caroli IV. Ephebus erat, ab ejus-
 que Filio Wenceslao post præclara forti-
 tudinis ac magnanimitatis specimina in
 variis occasionibus exhibita inter suos Cu-
 bicularios adlectus fuit. Stipendia me-
 ruit cum insigni gloria apud Poloniæ Re-
 gem, & in proelio An. MCCCCX contra
 Equites Teutonicos a Rege prospero Mar-
 te commisso hæroica edidit facinora.
 Hussitæ illum Ducem suum creant, nec
 invitum, flagrabat enim mortem Joannis
 Hussi, cui amicissimus erat, vindicandi ar-
 dore. Ergo ad exequendum suum con-
 silium rusticorum exercitum instruxit,
 quos militari arte adeo feliciter imbuit, ut
 lectissimi milites ubique audirent.

§. CXLIV.

*Subjedio ab Hieronymo Pragensi
 promissa.*

Moverat Concilii Patres Epistola Bohe-
 morum Procerum, necnon arreptum
 L 5 Th. Urie
 apud Vonder
 Hardt ta. I.
 ab p. 170.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

ab eis animi propositum, ut omni studio Hieronymum Pragensem ad retractandum inducere allaborarent, ne pari in eum supplicio ac in Joannem Hussum animadvertere cogèrentur. Quapropter undecima Septembris die productum gravibus adeo atque efficacibus rationibus adoriuntur, ut sese Synodo subdicere promiserit, & errorum Wiclefi, ac Joannis Husi damnationem approbaverit, caussatus, quod antehac non crediderit, articulos Husso imputatos illius fuisse, additque, se quidem Personæ, non autem errorum ejus amicum esse velle, nec eorum damnationem a se factam pro retractatione esse reputandam, licet enim frequenter condemnatas hasce propositiones audiisset, atque legisset, se tamen nunquam eas tanquam Articulos fidei adoptasse, neque privatum suum judicium auctoritati Ecclesiæ prætulisse. Ast hæc Hieronymi declaratio nimium vagis, ac ambiguis concepta erat verbis, hinc totum tempus usque ad proximam sessionem excurrens in eo impendebatur, ut eum ad clariorem, magisque definitam retractationem inducerent; quam & obtinuerunt,